

Erunt fortasse, quos in hoc Specimine non *Teutonica* tantum, sed vel ipsa *Latina* advertent, quae una mecum optabunt, ut *Nomenclator* totus in usum publicum cedat.

## LXVI.

67 *nunc VI. B. 14*  
Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per duas columnas literis minusculis exaratus et rubricatus continet *Enarrationes in Psalmos, in Actus Apostolorum, in Apocalypsin, in Epistolas Canonicas*. In Psalmos hoc est initium: *Beatus. Psalmus iste titulum non habet duplici ratione. quia proemium est. et prologus. et continet totam libri materiam. i. cristum totum. et membra. sponsum et sponsam. cristum et ecclesiam. et quia alibi titulus restat inquirendus et requirendus. &c.* Sic proceditur usque ad Psalmi CVIII. *Deus laudem meam &c. v. 21.* ubi sensu manente imperfecto finitur: *In Glo. nullis meritis operum precedentibus sed communicantibus neque enim angeli.*

Enarratio in *Actus Apostolorum* fol. 78. sic incipit: *Mandragore in portis nostris dederunt odorem suum. In ecclesiaste legitur quod funiculus triplex non de facili rumpitur &c.* Capitum nulla fit distinctio, finiturque in conciliatione Bedae et Rabani circa tempus martyrii Principum Apostolorum cum clausula: *Expliciunt actus apostolorum.* Tum statim

Fol. 83. p. 2. *Incipit apocalypsis.* Ingressus est: *Micheas erit iste.*  
*Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.*

*pax cum uenerit affrius. in terram uestram et quando calcauerit in domibus uestris &c.* Finis: *Alij habent. q. excommunicavi. et cristus mecum excommunicat.* Demum

Fol. 86. sub rubrica: *Canonicae Epistole*, sequitur harum brevis expositio, cujus principium est: *Uidi et ecce candelabrum totum aureum. et lampas ejus super capud eius &c. Job. I. c. 5.* explicatur utrumque *testimonium*, coeleste tamen confuse, novo argumento, quam facile turbentur Librarii, ubi eadem voces repetendae sunt. Clausula est: *quia ipse est potens cui nichil resistit, et hoc ante omnia secula etc. Amen hoc est uere. Expliciunt canonicae epistole.*

Autorem *Enarrationum in Psalmos* Gilbertum Porretanum Ep. Pictaviensem Sec. XII. scriptorem esse, ipsum earum initium evincit, quod habes etiam apud *Oudinum* T. II. p. 1286. ubi pluries *Misptae* citantur, uti et in *Bibl. sacra Lelongii* T. II. p. 911. Typis expressas unquam fuisse, non putem, neque id adeo dolendum. An vero reliquae etiam *Enarrationes Giberti* partus sint, quanquam tractandi ratio et stilus id suadere videantur, tacentibus *Henrico Gandav. Tritemio, Caveo, Oudino, Fabricio &c.* adferere non audeo. Fronti Codicis nostri adscriptum est: *Liber fratrum minorum in Winna.*

## LXVII. VII. B. 13

Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 176. f. nitide exaratus

tus et rubricis distinctus, ab Homine Sec. XVI. in PP. literatura minus versato, cujus nomini parco, erasis prioribus Inscriptionibus *Eucherio Lugdunensi* perpetram adtributus, continet *Ruperti Abbatis Tuitiensis* Sec. XII. Scriptoris *Commentaria in IV. Prophetas majores et Volumen Evangelistarum*, quae partem *Librorum Ejus XLII. de Operibus SS. Trinitatis* constituunt. A fol. 1. usque ad fol. 14. habetur *Elenchus Capp.* qui in *Edit. noviss. Venetiis. 1748. T. I. p. 478. f.* Capitibus singulis praefixus est. *Fol. 14. Incipit Liber in ysaïam Primus. Praefatio I. Omnis Anima quae christum diligit &c. Fol. 36. Explicit. Liber I. Incipit. Liber in Esaiam II. Capitulum. I. Quarta (ae) Perioches caput lucidum &c. Verba extrema: Adeo non deus recens est hic deus noster.*

*Fol. 65. Incipit in Jeremiam. Primus. C. I. Quinte Etatis Seculi Crepusculum &c. Finis: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam. Est vero Liber tantum unicus.*

*Fol. 95. p. 2. Incipit in Ezechielem primus. C. I. Hac Mundi Etate quinta (quam) precedente Volumine sumus ingressi &c. Fol. 121. p. 2. Explicit Liber I. Incipit in Ezechielem. II. Caput. I. Quoniam Celestia de quibus supra loquebamur &c. Finis: videbimus Deum Deorum in Syon.*

*Fol. 142. Incipit in Danielem. Primus. Capitulum. I. Aperiens Christo cujus in hoc Opere Mystera querimus &c. Definit:*

*Animum parva recreatione reparantes. Rursus est Liber singularis, cui tamen etiam a C. XIX. Prophetiae Aggaei, Zachariae et Malachiae intextae sunt.*

*Fol. 160. sequuntur Commentaria in Volumen IV. Evangelistarum hac nuda Epigraphe: Incipit. Liber (Corruptor hic Primus rescripsit) Capitulum. I. Sexta Mundi Etate Christus Dei filius &c. Finis: Optimam partem elegit que non auferetur ab ea. Unicus iterum Liber. Itaque nugae egit, qui C. XXIX. superscripsit: Liber secundus, Capitulumque trium sequentium numeros mutavit.*

Ne igitur quem in errorem inducat *Bibliotheca Gesneri* Expositionem *Eucherii in Esaiam, Jeremiam &c. inter Codd. Bibl. Imperialis* haberi adferens. Fucum enim fecit doctis Helvetis Sciolus noster epistolio ad *Nic. Episcopium* dato, quod etiamnum Codici nostro praefixum est. Quamquam, si hunc inspexisset diligentius, vel *Gregorius M. fol. 96.* citatus illum ab *Eucherio* avertere debebat. Duo subjungo: *Rupertum* nostrum pertinuisse olim ad Coenobium *S. Mariae Gottvicense* et praetensum illi esse Folium *Calendarii* coevi *Augustum* integrum cum parte *Julii* et *Septembris* complexum.

LXVIII. VII. C. 12

Codex chartaceus lat. Sec. 169 XV. Folior. 447. f. per duas columnas currente calamo exaratus, olimque a *Wenceslao Rossa Chrudimen-*